

Est. A-14795

DE

FELICI ECCLESIARUM EVANGELICARUM  
STATU IN CIVITATE RIGENSI.

---

COLLEGIS SUIS MAXIME  
REVERENDIS

IN CIVITATIS RIGENSIS V. D. MINISTERIO  
EVANGELICO

FESTUM REFORMATIONIS SECULARE  
TERTIUM

DIE XIX. OCTOBRI H. A. CELEBRANDUM

PIA MENTE GRATULATURUS

SCRIPSIT

J O A N N E S S C H W E D E R,  
SACRORUM AD AED. SALVAT. COMMUNISTER.

Tertu Riikl  
Raama  
199

---

RIGAE,


TYPIS GUIL. FERDIN. HAECKERI.

1817.

Illuxit dies, quo ante ter centum annos, quod Dei T. O. M. munus et beneficium est, vir beatae memoriae MARTINUS LUTHERUS primum fecit periculum lucis Evangelii revocandae, quam Christianis Occidentem versus degentibus multorum seculorum tenebrae omnino ferme eripuerant. Livoniae metropolis merito trecentesimo illius diei reditu gaudia concipit, perpendens, quot et quantos fructus in ipsam exinde redundaverint. Cum civitas nostra locis illis accensenda sit, qui primi, simulac doctrina LUTHERI palam fieri coeperat, eam exceperunt, constantique animo conservarunt: publice hodie, quantum divinae providentiae eo nomine debeat, oportet profiteri, debitasque Numini coelesti exsolvere gratias. Praedicent ideo et celebrent ecclesiae hujus civitatis evangelicae felicitatem, qua hucusque fuerint usae, qua in praesenti maxime gaudeant, quo magis tanta felicitate in dies frui, dignaeque evadere discant.

Maximum certe beneficium, quod prae aliis christianae, qualem XVI. seculo ineunte in terris Europaeis ad Occidentem vergentibus sese exhibuit, religionis reformationi acceptum referamus necesse est, in eo consistit, quod *vivam Dei sanctissimi vocem, bibliis sacris contentam, denuo nobis reddidit*. Aures jam hominum in terrarum occidentalium ecclesiis illa prope effugerat, scripta divina dum hominum plurimorum oculos latebant atque mentes. Evangelium Salvatoris vim sacram in animum juxta et vitam humanam amiserat, fictis et dolosis commentis mixtum et inclusum. En causam, eamque gravissimam, quapropter Reformatores, quos dicunt, ecclesiarum evangelicarum, inter eosque primus LUTHERUS, obedientiam Pontificis romani statutis atque conclusis denegandam arbitrati, ipsique palam denegare conati sunt; — causam eandem, quapropter remotiori jam

est. A



aevo ecclesiae graecae societatem pontificiorum dissuerant. Virorum pi-  
 orum ausus brachium Dei Omnipotentis optimo successu ornavit, successum-  
 que fortunavit. Crevit in dies hominum veritatis amantium numerus mi-  
 rum in modum. Reformatae doctrinae christianae sectatores armis lucem  
 Evangelii propagare nunquam tentarunt. Verbo divino armis bellicis non  
 opus fuit ad progressus faciendos. Vires, nudaе veritati insitae, suffecer-  
 runt. Ubivis terrarum tunc temporis, qualis nostra aetate, veritas christia-  
 na, e sacris scripturis hausta, in hominum voto et desiderio fuit. Majores  
 etiam nostri genua flexerunt, preces gratissimas fundentes, cum doctrina  
 Evangelii, falsis erroneisque praeceptis exuta, radios suos in oras emitteret  
 Livonicas. Cupidine ejus cives Rigenses diu jam flagraverant. Tandem  
 preces civitatis exauditaе fuerunt. KNOPKENO adveniente lux salutis aeter-  
 nae, quam cupierant, iis affulsit. Grati, aequae ac majores, agnoscamus et  
 veneremur providentiam divinam, quae hac via nostrae saluti optime con-  
 sultuit. Munus collaudemus divinum, quod nobis contigit, parentibus nasci  
 evangelicis, qua sorte careremus, nisi jam majores nostri ad Evangelii pu-  
 riorem cognitionem venissent. Jam a prima juventute hinc bibliis sacris  
 sumus imbuti, quorum tenorem nunc quisque, etiamsi linguam tantum ver-  
 naculam noverit, habet compertum. Id quod in recolendis beneficiis, quae  
 doctrinae christianae reformationi sec. XVI. susceptae debemus, primum  
 nobis in mentem veniat necesse est, — beneficium, quo quidem ecclesiae  
 hujus civitatis evangelicae una cum omnibus aliis, quae evangelicae audiunt,  
 gaudent, quo vero tam vivide non laetarentur, nisi *civilis hujus urbis sta-  
 tus quam plurimum doctrinae evangelicae favisset*. Quanquam est, quod  
 et hujus ipsius beneficii maximam partem religionis reformationi, quam  
 LUTHERUS molitus est, attribuamus. Etenim ipsa fidei christianae doctri-  
 na, qualem LUTHERUS ex scriptis divinis restituerat, fuit, quae Magistros  
 ordinis Livonici commoveret, ut hujus doctrinae incrementa nusquam impe-  
 dirent. Novimus Magistrum Waltherum ex stirpe Plettenbergia statim, ubi  
 primi doctores evangelici in Livoniam advenerant, doctrinae, quam illi  
 praedicabant, rationem disquirendam curae sibi habuisse. SYLVESTRUM,  
 cognomine TEGELMEYER, KNOPKENI collegam ad aed. D. Jacobi a Rigen-

sibus constitutum, propterea vocari jussit, et plura cum eo colloquia habuit: ratione autem novae doctrinae vera et firma reperta, minime eam suppressere studuit, quin eam potius propagare et provehere ipse, qua potuit, molitus est. Cujus rei documento est instrumentum confederationis inter Magistrum ord. et urbem Rigensem, Rigae die Matthaei Apost. Ao. 1525. factae, quo ille, praeter alia, foedus etiam evangelicum contra Archiepiscopum, aut quemvis alium adversarium paciscitur, quod instrumentum pacis Magistri, in quos deinceps sparta Livoniae regendae devolvebatur, cum gubernacula hujus provinciae susciperent, omnes ad unum firmarunt et in commodum civitatis auxerunt. Quid quod ipse Archiepiscopus Guilielmus de veritate doctrinae LUTHERI et necessitate ecclesiae reformandae persuasum sibi habuisse videtur: quod veri haud absimile est, cum rebus evangelicorum circa sacra mirum in modum indulgeret, et pontificii ipsi eum haereseos arguerent. Felix incrementum, quod doctrina LUTHERI, durante ordinis Livonici regimine, praesertim in civitate Riga ceperat, insequens civitatis status, quo per viginti annos sua libertate utebatur, in tuto collocavit. Reges quidem Poloniae graviter postea cives Rigenses, in ditionem suam tandem redactos, ob religionem, cui adhaerebant, evangelicam vexarunt. At hujus civitatis ecclesiae evangelicae tamen habuere, quod sortem, quae sub regibus Stephano et Sigismundo III. iis contigit, felicem judicarent, suam ipsarum conditionem si compararent cum ea, quam reliquae ecclesiae evangelicae in ducatu Livoniae eodem tempore experiebantur. Civitatis enim vires nequaquam negligendae reges senatumque Polonorum docuere, Rigae esse parcendum. Annus vero 1621. brevem civium evangelicorum timorem, in quo de religione sua versabantur, cum urbis expugnatione omnino finivit; quo facto Rigenses in potestatem principis venerunt, qui eandem, quam ipsi, amplectebatur confessionem. Sub regibus Suecorum propterea status evangelicarum hujus urbis ecclesiarum non nisi felicissimus esse potuit. Mansit idem, ex quo inceperunt humanissimo Autocratorum Russiae imperio parere. Jam fidei doctrina, quam ecclesiae graeco-russicae sequuntur, maxima ex parte cum confessione consentit Augustana, eaque consensio cernitur etiam in eo, quod Imperatores

Russorum, aequae ac principes evangelici, cujusvis fidei subditos ferre, in ipsorumque religione libere exercenda fueri solent. Ecclesiae graecae una cum evangelicis sustinentes, quae Petrus Apost. Act. X. 34. 35. commonet, et memores dicti, quod Act. V. 38. 39. offendimus, nec divinum aliorum cultum turbant, nec vi aut dolo quemquam ad sacra sua adigunt. Cui rei indicio ipsum etiam jubilaecum est, quod hodie celebramus, *Augustissimi Imperatoris* concessu, qui hac occasione expressis edixit verbis: „ea se caritate in subditos esse affectum, ut cultum quorumcunque sacrum in imperio suo prorsus liberum esse velit, unde ipsum duntaxat imperium detrimenti nihil capiat.“

An vanitatem aliquam ecclesiae hujus civitatis evangelicae prae se ferrent, si persuasum sibi haberent, *Imperatoris* gratiam, qua gaudent, bene se meruisse? Qua si dignae existunt, nonne id beneficiis tribuendum erit, quae reformationi, solennibus quam hodie prosequuntur festivis, debent? Nam mere indignae viderentur hac die, doctrinam si non essent secutae, quam iis LUTHERUS restituit. Sed eo maxime habemus, quod laudis mentionem faciamus, quam sibi ipsae merito ecclesiae hujus civitatis evangelicae vindicare videntur, cum magnam ejus partem ad majores suos referant. Servarunt cives Rigenses evangelici constantissime illam fidem, qua sese principibus suis devinxerant. Quam cordi iis curaeque fuerit fides ipsum erga regem Poloniae, neminem praeterit, cum omni regis auxilio destituti obsidione a Gustavo Adolpho premerentur. Eodem animo cives Rigenses seriori tempore ad hunc usque diem fidem, qua fuerunt adstricti, servasse, laudes declarant insignes, quas identidem a principibus suis retulerunt. Odium ne excitem, minime vereor, laudes civitatis patriae, ejusque inprimis ecclesiarum evangelicarum repetens, quibus cives Rigenses palam sunt saepius decorati, eo nomine, quod vestigiis doctrinae, quam profitentur, evangelicae fideliter inhaeserunt. In virtute et pietate nostrum quaero honorem, quo nihil si carius habeo, nemini sane mirum videri debet. Animo evangelico hujus civitatis ecclesiae si caruissent, ex quo evangelicas se praedicant, quid esset, de quo nunc statu suo gloriantur? Quod si vero illum animum habent, jure optimo hodie ejus sibi consciae laetan-

tur. Pia proinde mente recolant, quantopere, ex quo LUTHERI doctrina moenia ipsorum intravit, mentis et animi culturam magis magisque ad haec tempora usque provehendam curarint. Aedium quidem sacrarum numerum statim, cum LUTHERI sese addicerent doctrinae, diminuerunt. Quid enim prodest aedium sacrarum copia, dum mentis et animi inopiae non prospicitur? Tot aedes sacras retinuerunt, quot necesse habuerunt. Quo, aedibus sacris abundantes, egerunt, id sibi comparare altius duxerunt. De quo saepius cum Archiepiscopis remotiori aevo questi erant, ei summo inde ab Ao. 1522. incubuerunt studio, ut sibimet nimirum compararent Evangelii doctores, sacro munere dignos. Eadem sollertia, qua salus ipsis communis in eligendis et accersendis dignis religionis doctoribus antiquissima fuit, ad scholas instaurandas in diesque et augendas et emendandas adnisi sunt. Addas, quod et aliarum ecclesiarum sociis cives Rigenses evangelici minime defuerint, ubi eorum saluti consulere possent. Opibus suis utro pontificios adjuverunt in exstruendo templo, quo publice illi cultum nunc instituunt divinum. Auxilio iisdem etiam aderant non ita pridem in aperienda schola filiabus inservitura. (Videsis: *Rigische Stadtblätter*, 1810. pag. 46 et 86.) Liberalitas civium evangelicorum erga inopes ea est, ut non inquirant, cujus gentis aut confessionis sit, cui opem laturos sint. Benevolentiam, qua pauperes atque egentes curant, nulla invidia aut formido retinet. Civis evangelicus, quamdiu libera tantum suae ipsius religionis exercendae facultate gaudet, nihil timet, Numinis Omnipotentis brachio fretus. Neque quidquam fuit, quod unquam simili metu atque angore conficeremur, quem ecclesiis evangelicis nunc temporis aliis in regionibus reviviscens potestas quaedam incussit. De reliquo, quid ipsis de xenodochiis, de nosocomiis dicam, quae plurima hac in civitate cives evangelici tribus postremis seculis condiderunt, et tanta munificentia donarunt, quanta hanc civitatem haud quaequam alia ejusdem ambitus atque frequentiae antecellit. Quae dixi, vera sunt, sunt enim manifesta. Equidem non ignoro, neque itaque celo, non ad unumquemque hujus civitatis civem evangelicum laudes spectare, quae ad ejus ecclesias evangelicas in univsum pertinent. Sed de his unice loquor. Quarum cum status ita compa-

ratus sit, qualem modo his literis consignavi, non possum, quin sigillatim hic de probis eorum *religionis doctoribus* mentionem adjiciam, quibus hucusque fructi sunt, quippe qui vera sinceraque institutione et paterna admonitione cives Rigenses in illa duxerunt via, qua fideles erga principes, pii atque humani evaderent. Grata, qua decet, veneratione hac de causa civitas Rigensis hodie prae reliquis ANDRAEAE KNOPKENI et SYLVESTRI TEGELMEYERI memoriam prosequitur. Sed et reliqui V. D. Ministri, quorum nomina annales nobis ecclesiastici servarunt, digni sunt, qui mentem nostram subeant, quoniam nisi KNOPKENI et TEGELMEYERI vestigia secuti essent, eo gaudio, quo nunc de felici nostrarum ecclesiarum statu afficimur, non frueremur. Meritorum, quibus antiquiores nostri religionis doctores insignes floruerunt, Vosmet participes nostra aetate fecistis, *Collegae maxime Venerandi*, in eorumque laudum societatem optimo jure proinde Vestra etiam nomina veniunt. Modestiae interdum Vestrae cedendum est, qua mihi non annueretis, Vestra si hic promerita in civitatem patriam recitare vellem. Quorsum vero etiam necesse est, ut civitatem meritorum Vestrorum ipse ego commonefaciam, quae neminem jam fugiunt, hisque pagellis nequaquam opus habent, ut posteritatis memoriae tradantur. Quamquam, quo magis patriam meam adamo, eo ferventius ei hodie gratulor, quod Vestra doctrina et Vestro exemplo utatur. Gratulor et Vobis, quod Vobis contigit, rem christianam talium ecclesiarum juvare, quales ecclesiae hujus civitatis evangelicae adhuc fuerunt. Gratulor postremo mihi ipsi, quod Divini Numinis consilium me Vestrum collaboratorem apud Rigenses fieri voluit. Civium autem optimus quisque hodierna solennia mecum iis agit votis, ut ecclesiis civitatis nostrae evangelicis quam diutissime contingat, Vestro ductu, similique, quando Vobis pietatis fructus cedunt coelestes, in posterum frui. Utinam Deus T. O. M., quae ejus singularis in homines justa petentes est gratia, votis hisce respondeat, ad sacras aras hodie a tot gratorum ore et pectore pro Vobis et civitatis salute nuncupatis!

Imprimatur, ea lege, ut quinque exemplaria libelli typis excusi, Institutis publicis transmittenda, censori tradantur. Rigae, d. 12. Oct. 1817.

Dr. AUG. ALBANUS, Censor,